

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

## **Dissertatio Historico-Theologica De Fide Abrahamica In Nativitatem Christi**

Recusa, [S.I.], 1734

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn843958529>

Druck    Freier  Zugang





85

48.a.5.

Ia 1092(85.)

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.



6

I. N. D. N. I. C.  
DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA  
DE  
**FIDE ABRAHAMICA**  
IN  
**NATIVITATEM CHRISTI,**

Vom

**Abrahams Glauben  
an Christum.**

*Jac. 15. 6. Rom. 4.  
29. 22.*

QVAM  
AVSPICIIS DIVINIS  
PRAESIDE  
DOMINO  
**BALTHASARE BEBELIO,**

S. THEOL. D. ET PP. ORD. &c.  
PVBLICE DEFENDET

**M. CORNELIUS Loschenbrandt,**  
*ARGENTINENSIS, M DCLXIX.*

---

RECUSA, 1734.

17.

18.

19.

DISSESSATIIO HARMONICO-HISTORICAY  
EIDE AB H. H. HAMMUS  
TERRA MATER CANTUS  
MUSICA  
BALTHASAR BEBELIO  
W. CORNELIUS SOFFOGENUS  
DOMINO  
VATICANIS GENEVIS  
GAVM



I. N. D. N. I. C.  
**FIDES**  
**ABRAHAMICA**  
DE  
INCARNATIONE ET NATIVITATE  
MESSIAE  
**PROOEMIVM.**

Fides in S. Literis varias habet significaciones, quas concordantiae, & Lexica Theologica exhibent: Nos brevitatis Studiosi id solum h. l. monemus, quod alia sit fides, quae credit, alia quae creditur; *hac* est ipsum istius objectum, verbum nimirum Dei, & in specie doctrina Evangelica, in qua benevolia Dei voluntas, & credenda propounduntur. Acto. VI. 7. XIII. 8. Rom. I. 5. III. 13. I. Tim. III. 9. *Ista* autem est actus mentis nostrae, qui promissionem Evangelicam apprehendit, & credenti applicat. Hebr. XI. 1. seqq. In hoc sensu h. l. vocabulum fides accipimus, ita tamen, ut alterum significatum eatenus includamus, quatenus veræ fiduciae suum objectum perpetuo responder, ut correlatum suo relato. Hoc ipso autem innumus sermonem nobis non esse de fide humana, sed divina; nec de nuda historica, sed justifica, &

A. 2

salvi-

24

3.

1.

18.

19.

salvifica. Loquimur enim de Fide *Abrahamica*, qua ipse  
Deo credit & justificatus est. Gen. XV.6. Rom. IV.3.  
20.22. *Abrahamita* autem dicitur partim *subjectivus*, quia  
ipse Patriarcha ea fide fuit prædictus. Rom. IV.3. Ebr. XI.  
8.17. partim *exemplariter*, in quantum vera fides, qua  
omnes justificamur & salvamur, eadem est cum fide  
Abrahami, ideo in S. literis proposita, ut ad instar  
istius nostram fidem componeremus. Rom. IV.23.24.  
De priore respectu nobis h. l. potissimum sermo est,  
qui in Historia Abrahami Patriarchæ ejusdemque  
Ecclesiæ enarranda versamur.

§.2. Cum vero istius fidei *Abrahamicæ* varia sint  
objecta, circa quæ versata est, & nobis non propositum  
sit de omnibus istis h. l. agere, ideoque expressi-  
mus speciale aliquod ipsius objectum, nempe *incarna-  
tionem & nativitatem* Messiae, de quo nunc agendi ani-  
mus est. Volumus enim tempori inservire, quod in  
mysterio incarnationis Christianæ hactenus trans-  
actum est. Nostra sententia hoc mysterium non in Novo  
folum Testamento revelatum est cognitum, sed  
jam in V. T. omnibus salvandis, adeoque & *Abrahamicæ*  
Ecclesiæ, de ipso tantum constitutum, quantum ad fidu-  
ciam concipiendam & salutem æternam consequen-  
dam requirebatur. Differentia solum in tempore  
erat, & gradu: Credebant isti sub veteri fœdere in in-  
carnandum, nos in incarnatum; isti obscurius, nos il-  
lustrius; prout revelatio magis magisque inclarescet.  
Summa hæc est propositi nostri, quam paulo ex-  
plicatiorem dabimus, breviter tamen, ut nec modum  
disputationum Academicarum, nec desideria Dn. M.  
Respondentis excedamus. Iesus noster, quem fidei  
*Abrahamicæ* oculus vidit, & gavisus est, Spiritus sui  
Sancti gratiam clementer nobis admetiatetur!

ASSER-

# ASSERTIO I.

*Principium, unde Fides Abramica probari  
debet, est Scriptura Sacra.*

**P**rincipium, ut quidem nos h. l. sumimus, illud est, unde aliquid vel cognoscitur, vel sit: ut sensus verborum nostrorum revelat, quid Abrahamus crederit. Aliud igitur est querere de Principio, unde Abrahamus fidem suam conceperit, & conceptam foverit; & aliud, unde nos hodie scire possumus, quæ fuerit fides Abramii? Hoc nos novimus ex solis sacris literis fide divina; istius vero principia & causæ variae fuerunt, ut paulo post ostendemus. Tenendum autem est, quod alibi prolixius dicitur, per scripturam nos h. l. non meram & solam literam intelligere, sed etiam consequentias ex litera legitime deductas: *Prophetas apparet profecto dies noctesque meditatos scripta Moysi, ac precipue hasæ Patriarcharum historias, ac mirabiles CONSEQUENTIAS ex ipsis hauisse. Adjuvat enim diligentiam Spiritus Sanctus. Ideo quoque, quoniam Deum sic copiose cum Abraham colloqui non paniter, paulo diligentius expendemus omnia, cum Luthero loquimur, ex Tom. 1. Enarr. in Gen. f. 8. Paulum Apostolum imitabimur, si hoc fecerimus.* Is enim, et si Spiritu Sancto immediate afflatus, attamen e sacris literis de fide Abramii differuit, & consequentiis usus est, ut ostenderet Abramum fide, non operibus, & gratia, non suis meritis, per imputationem, non inhaesione esse justificatum. Rom. IV. 2. seqq. Gal. III. 8. Adjungemus tamen etiam Ecclesiæ vetustioris suffragia, sicubi opus esse viderimus, ut appareat, nos cum ipsa etiam in hoc fidei nostræ puncto conspirare. Sciendum insuper, quod dicta scripturæ huc facientia alia sint generalia, alia specialia: ista voco, quæ de credendis & credentibus in communi agant; hæc vero, quæ ipsam Abramii personam, & fidem exprimunt, e. g. Actor. X. 43. Petrus in domo Cornelii inter alia concionabatur, quod de Iesu Christo testarentur omnes Prophetæ, & ita quidem, ut per nomen ipsius, quotquot in ipsum credunt, remissio-

nem peccatorum sunt accepturi. Acto. XV. ii. Idem aperte proficitur: Credimus per gratiam Iesu Christi nos salvatum iri, sicut & Patres nostri: i. Petr. I. 10. Prophetæ dicuntur scrutati esse beatitudinem, quæ emergit ex fide in Iesum Christum. Hæc testimonia clare nos docent, quod ea ipsa fide, qua nos in Nov. Test. veteres etiam in Ver. Test. fuerint illuminati, & salvati: Nostra autem fides agnoscit & apprehendit Messiam etiam in sua humana natura, juxta quam pro nobis passus est, & mortuus; quare & veteres fideles, & in his etiam Abrahamus, ipse Propheta, hac ipsa fide fuit prædictus, & salvatus: sed nos præcipue solliciti erimus de dictis Abrahamum ipsum experimentibus, ut tractatio respondeat titulo disputationis. Confer D. Chemin, Harm. Evangel. c. CII. §. 5. f. 1925. num. 4.

## ASSERTIO II.

*Principium, quod fidem de incarnatione Filii Dei in  
mentem Abramini accedit, fuit Deus,  
suis tamen mediis & instrumentis  
usus.*

Insiuamus his verbis distinctionem inter principium quod, & quo: Istud dicimus fuisse DEVM, & quidem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; hoc vero verbum DEI, & alia verbo analoga media, quæ DEVS pro suo arbitrio in plantanda Patriarchæ fide adhibuit. I. DEVM fuisse principium innuitur Gen. XII. 3. ubi DEVS Abrahamo promittit: in te benedicentur omnes familiæ terræ: Ex prædicato potuit discere Abrahamus subiectum, nempe Messiam, benedictionis fontem. Confirmatur ex Isaï. XLI. 2. & 4. dicit enim DEVS sese fuisse, qui justum ex oriente evocavit, Abramum, putat Patriarcham. DEVS enim est, qui Abrahamo dicit: Semini tuo dabo terram hanc. Per hoc semen potest intelligi etiam semen Abrahami subiectum, quod aliquando in hac terra erat proditurum. Certe Abrahamus e vestigio aram in isto loco erexit, quo autem fine? nisi ut futuram Messię passionem & mortem

mortem sacrificii oblatis adumbraret, & profiteretur. Clariſſime omnium hoc expressum est, Gen. XXII. 16. Nam ~~in~~ concepto per ſemetipſum juramento Patriarche per omnia obsequioſo promittit ſemen, e quo omnes in terra homines benedictioñem accepturi ſint. Simul ex hoc loco apparet, Filium ipsum Dei Abrahamo ſui nativitatem revelare. Dicitur enim Angelas Dei verſ. II. 15. quod nomen eſt Filii, qui verbum Patris eſt, & mysterium Evangelicum nobis indicavit Ioh. I. 18. Deus idem eſt, qui, quod Abrahamo pomerat, etiam foedere conſirmavit. Genef. XVII. 9. seqq. Promiserat DEVS Abrahamo verſ. 4. quod Pater eſſet futurus multarum gentium, qua de cauſa nomen quoque ipſi mutaverat, ut pro Abram Abraham, pater multitudinis appellaretur. His verbis inclusa erat tacita mentio Mefſie. Sumus enim filii Abrahams per fidem in Christum, Abraham ſermonem; Iſtam igitur promiſſionem Deus imperata circumciſione veluti ſigillo addito obſignavit. Ut enim Abrahams, & posteri ſcirent, ex ſuo ſemine Mefſiam eſſe proditurum, Deus illud membra circumcidit voluit, quo mediante ſemen Abrahams erat propagandum: Peculiaris ritus (Circumciſionis) ideo propositus eſt, ut eſſet tori mundo inſigne monitorium, Chriſtum ex Iudeis venturum: ait Luther. Comm. in Gen. XVII. fol. 77. b. enar. Quo cum ſentit noſter B. Erasmus Marbach. Comm. in Gen. I. c. Dicens enim de cauſis Circumciſionis datae, etiam hanc aſſignat: ut ſignum ſit venturi Mefſie e ſemine Abraham, & hoc ſigno profiteari, ſe in promiſſum illud ſemen credere. pag. 172. Confer. D. Gerh. comm. in Gen. pag. 360. q. 2. Deus igitur hoc iuſtitit ſigillo Rom. IV. 11. fidem Abrahams creditis conſirmavit.

II. Principium, quo uſus DEVS eſt, fuit ipſius verbum, quod immeđiate adhibebat in hoc mysterio revelando. Nemo Patriarcharum eſt, quo cum plus verborum DEVS miſcuiffe legitur, quam cum Abraham: nec de alia magis materia colloquebatur DEVS, quam de ſemine futuro. Accedebant quidem etiam apparitiones, visiones, tomnia, miracula, ſed omnia ea verbum habebant pro fundamento. Gen. XII. 1. DEVS dicebat ad Abrahamum, cum ipſum e patria ſua evocaret; eidemque loquebatur de benedictione: *Benedicam tibi benedicentibus, & maledicam maledicentibus;* Et in  
te be-

24

3.

1.

18.

19.

*te benedicentur omnes familiæ terræ. vers. 3. imo v. 2 dixerat, Abraham; i. e. semen Abrahami fore ipsissimam benedictionem. Hoc verbo, dubium non est, quia fides Abrahami pridem increduli, fuerit accensa, ut spem & fiduciam conciperet de futuro semine, in quo & ipse benedictionem habiturus esset. Per fidem enim DEO obedivit vocanti, ut de patria egressus in terram hereditatis veniret; fides autem ex auditu, auditus autem per verbum DEI Hebr. XI. 8. Rom. X. 17. Eodem DEI verbo fides Patriarchæ nutrita, aucta, & confirmata est. Gen. XV. 1. seqq. subiunxit Moses, Abraham in magnis angustiis & temptationibus; ob hostes forsan imminentes fuisse constitutum: DEV M igitur solatio adhibito consternatum erexit; promisso enim semen ex ipso Abraham futurum Messiam, & ex hoc copiosam credentium multitudinem; quod cum crederet Abrahamus & vera sibi fiducia applicaret, imputata est ipsi fides in justitiam, v. 5. & 6. Idem aliquoties repetitum est etiam postea, ut Gen. XVII. 1. ubi DEVS iterum Abraham apparet, colloquium cum ipso habet prolixum & jucundum; imprimit ipsi imperat circumcisio, qua ceremonia promissio confirmaretur. Gen. XXII. 16. seqq. gravissimis verbis promissionem repetit, & illustrat; adeo, ut & juramento corroboraret. v. 16.*

Solet enim DEVS verbo addere *Sacramenta*, veluti sigilla, quibus ea, quæ in verbo promisit, confirmet. In his sacramentis sunt sacrificia & circumcisione. *Sacrificia* Abraham obtulisse dubium non est; erexit enim altaria, veluti templa, in quibus DEO victimas cæderet & accenderet, & verbum, quod de futuro Messia prædicabat, hoc ipso confirmaret & obsignaret. Gen. XII. 7. XIII. 4. Illustræ sacrificiæ exemplum habetur cap. XV. 9. seqq. Promiserat DEVS Abraham possessionem terræ Canaan: cum Patriarcha signum peteret & sigillum factæ promissionis. DEVS igitur iussit adduci triennem vaccam, capram, arietem, turturem, & pullum columbinum, v. 9. quo facta, mactata sunt, & divisæ victimæ, exceptis avibus, quæ integræ manserunt. Sole submerso, & tenebris factis, fumus velut e clibano surgebat, & flama, qua DEVS erat indutus, per divisas victimarum partes transibat. *Veterum morem hunc ineundorum fœderum esse appetet. At DEVS,*

DEVS, quia cum Abraha pascitur de terra Canaan, posteritati ipse: us certo tradenda, servat ipse quoque hunc morem, & transit per divisam historiam, seu flamma, atque incendit eam, in signum, quod gratum ei sit hoc sacrificium. Verba sunt Luther. enar. Gen. 15. f. 62. Non autem solam Cananæam possessionem externam sacrificium respiciebat, sed vel maxime Messiacæ nativitatem. Quia enim futurum erat, ut Israelicæ aliquot centum annos in Ægypti gravissima servitute consumpturi essent, metuendum erat, ne ipsis extinguis Messiacæ quoque promissio in sumum abitura esset. Ideoque opus erat Abrahamum edocere, quod hostes suo semini non prævalituri essent, et si irruerint in ipsum, sicut aves super prædam. v. 11. Egregia est B. Lutheri glossa ad v. citatum: Das Gevögel und der rauchende Ofen, und der feurige Brand bedeuten die Aegypter, die Abrahams Kinder verfolgen solten, aber Abraham schucht sie darvon i. e. GOTT erlöset sie umb der Verheissung willen Abraham versprochen. &c. Aliud sacrificium recensetur Gen. XXII. 13. Postquam enim Abrahamus vetitus esset filium suummet mactare, arripuit aritem, in vepreto cornibus suis intricatum, hunc vice filii sui cædit, & sacrificium offert: quo fine? unanimis Patrum antiquiorum, & recentiorum interpretum consensus est, ut typus esset Messiacæ aliquando pro nobis interficiendi; Nec dubium est, quin instinctu id DEI fecerit, qui promisionem seminis benedicti paulo ante reperirerat, & firmarat: Neque enim ἡ θεοθηγενεῖας DEVS delectatur, aut Abraham iisdem utesbatur, ex nudo & ore DEI pendens Patriarcha: quare mandatum DEI necesse est habuisse.

De Circumcisione dictum est, quod fuerit signaculum justitiae, ex fide venientis Rom. IV. 11. Justitia, qua Abraham justificatus est, est meritum Messiacæ, quod præstiterus cum adhuc erat, & id juxta utramque naturam. Oportuit igitur credentem nosse suum salvatorem juxta utramque illam, adeoque & humanam, naturam; Et consequenter sacramentum, quod obsignat fidem, quæ credit, obsignat etiam, & confirmat, eam, quæ creditur: Imposita hac de circumcisione lex Iudeis est, non ut per eam justificarentur, frustra enim sic promissus esset Christus, sed ut essent populus distinctus ab omnibus aliis populis, ut scirentur, ex quo populo, ex qua mundi

B

Parte

24

3.

1.

18.

19.

parte nascendus esset Salvator: sicut Luther. ad Gen. XVII. simul etiam, ut fides illa obsignaretur: *Abrahamo circumcisio fuit & signum h. e. obsignaculum & confirmatio justitiae fidei, scilicet, quod ex fide in futurum Messiam esset gratis justificatus, & DEO acceptus, etiam cum adbus propitium haberet, explicante B. D. Weller. Comm. in Rom. I. c.*

Circumstantiae harum revelationum fuerunt variæ: DEVS enim πολυμερώς καὶ πολυτρόπως Patribus loquebatur. Hebr. I. 1. Id quo d in historia Abrahāmi aliquot exemplis illustrari potest. Gen. XII. 7 extat vox: **נָתַן** & *vīsus ēst: DEVS igitur invisibili aliqua specie Patriarchæ apparuit: qua autem? an humana? sic putant communī opinione: præsertim, quod tum futurum semen humanum revelaret.* v. Wolf. Franz. de interpr. Script. orac. 47. nemo, inquit, dubitet, Abrahamo oblatam & exhibitam in divina visione fortissima fuisse itidem personam & faciem Iesu Christi, prout natus fuit ex virginē gentis Abrahāmitica, credit, misterio miraculorum defungi accepit, a passione, exaltatus fuit ad dextram Patrius & in ultimo die omnes ēst excitaturus, & in altera vita coronatus: Gen. XV. 1. dicitur verbum DEI ad Abrahamum venisse בְּמִתְחָדֵה in visione: Intellexit igitur Abrahamus DEI præsentiam, & hanc noctū; Nam jubebatur foras ire, & stellas numerare, quod noctu, non interdiu præstare possumus. Visio seu apparitio in specie est, cum DEVS apparet per imaginariam visionem non tanquam in somnis, sed vigilantibus. Sicut profecto Abraham, cum hac ei loqueretur Dominus, non dormivit: Venit enim foras, & iussus est cœlum intueri, ac stellas numerare. Hec imaginaria idea sine speculatione facta est, oculis aperitis, & vigilantibus: judicium est Lutheri enat. Gen. I. c. confer. B. Gerhard. Comm. ad loc. cit. Gen. q. 2. p. 324. Somnia etiam inter modos revelationum referuntur Num. XII. Habemus enī exemplum Gen. XV. 12. dicitur enim sōpor Abrahamum oppresſisse, cum DEVS ipsi intimaret futuram posterorum conditionem in terra peregrina.

ASSER-

### ASSERTIO III.

*Abramum adhuc inter homines degens vera in  
Messiam nascendum fide fuit  
præditus.*

Dicimus (1.) Abramum adhuc inter homines degentem in terris credidisse Messiae nativitatem, ut nos separaremus a sententia Pontificiorum, qui in commentariis ad locum Joh. VIII. 56. statuant, Abramum adhuc temporis in limbo suo constitutum rescivisse ex Simeone Justo, Zacharia, Elisabetha, defudiis, vel etiam Angelis, quod Messias in carne esset exhibitus. Sic enim Jodocus Clichtovæus, Neoportuensis, Flander, Doctor Theologus Parisiensis sententiam suam exposuit: *Missa faciamus hac tria superius addata, dicentes, Abraham vidisse diem Domini, quando jam in placide sanctorum patrum requie positus, cognovit filium DEI esse incarnatum. Erat enim ille dies Domini, quo carnis nostre substantiam pro nobis assumpit. Et id quidem cognovit Abraham completere esse, per testimoniem justi Simeonis, qui post Dominum suscepit in ulnis requievit in pace, & intimavit sanctis Patribus cum natum. Aut per denunciationem Angelorum sanctos Patres visitantium sepius, & que consultationem eis afferrent, siveque propinquæ liberationis praefarent, benigniter ipsi significantium. Cum itaque editus est in mundum virginæ pars Dominus noster, quis addubitat eum Angelos antiquis illis patribus annunciatè salvatoris ortum, sicut & in terris nuncieverunt pastoribus? Hæc ille in supplemento Cyrilliani in Johannem Commentarii lib. VI. cap. II. (Nec enim quatuor sequentes libri sunt ipsius Cyrilii, quod, sive per errorem, sive per insidias & fraudem dicit inscriptio in editione Cyrilli, quæ latina prodiit Paris. 1704. fol.) suffragantur Clichtovæo Sebast. Barradius in harm. ad l. c. Joh. Maldonatus: Cornelius a Lapide ad l. c. &c. alii Pontificiorum.*

Temere autem hoc asseritur: cum neque in loco allegato, neque in aliis scripturæ dictis de limbo isto Patrum vel vola vel vestigium habeatur; multo minus, quod Angeli in locum istum descendederint, consolatori Patriarchas. Nos igitur in litera manu,

mus, & dicimus, Abrahamus, cum adhuc in his terris vivus degeneret, vera fide adventum Messiae in carnem prævidisse, & præviso illo gavilum esse. Sensem hunc non verba solum, sed & Judæorum exceptio, & Christi responsio generant. Judæi, quibuscum Christus loquebatur, ut intelligere loquentis verba possent, verba Christi ita accipiebant, quod Christus cum fuerit, cum ab Abrahamo videretur, quod ipsis per absurdum erat, eo quod Christus nondum quinquaginta annos natus esset: Abrahamus autem aliquot ante annorum millia extitisset: Reges sic Christus, absurdum non esse, quod dixisset, Abrahamo sese fuisse, ut sic loquar, τούχεοντα fuisse enim sese, scil. quoad divinam suam naturam, antequam vel Abraham extitisset, nedum ipso etiam existente. Hæc Judæis blasphemia videbatur, quod se ipse DEVM faceret æternum, quare lapides tollebant, ut blasphemum caput ipsis operirent. Fac hunc esse sensum: Abraham in limbo constitutus per aliquot heri & nudius tertius defunctos, vel etiam Angelos, rescivit, me esse hominem factum: Judæi inepte exceptissent: nondum es quinquaginta annos natus, & tamen Abrahamum vidisti: Nec enim opus erat Christum tot vel tot annos transfigisse, ut ab Abrahamo in limbo cognosceretur; cum & infans bimulus, vel trimulus cognosci possit homo: Ineptius etiam Christus respondisset, antequam Abraham esset, ego sum: quid enim hoc ad incarnationem Christi?

Excipiunt Papistæ, sensum, quem nos dicimus, dicti esse non posse: sensum dicti hunc esse nos dicimus: Abrahamus promissione & revelatione divina illuminatus desideravit me videre in carne assumpta, quale & reliquorum Patriarcharum, etiam Prophetarum, & Regum desiderium fuit Luc. X. 24. Et vidit etiam, scilicet in specie per visionem oblatæ, ut verbis D. Frantzii paulo ante assert. 2. explicuimus. Alii ita: Abrahamus accepta seminis benedicti promissione latus fuit in omnibus etiam calamitatibus suis, ex quod crederet in carne me quondam comparaturum, redimenti generis humani gratia; hoc ipse jam firmiter credidit, ac si ipsissimis suis oculis vidisset impletum, & propterea summo gudio affectus est: in hunc fere sensum explicat dictum B. Chemnit. harm. cap. 103. Excipit Maldonatus comm. in Johan.

VIII.

VIII. §. 130. Mihi non videtur, quod Christus dicit: vidit & gavisus est, aut de sola fide, aut de figura, vel Prophetica revelatione intelligi posse. Cum enim dicit: vidit, hanc dubium, quin eo modo vidisse dicat, quod videre tantopere dixerat concupisse. Non autem concupiverat sola videre quia, antequam fidem haberet, cum nullam de Christo notitiam haberet, diem ejus videre concupiscere non poterat; postquam habuit, concupisebat quidem, at non sola fide, quia fide jam Christi diem videbat. Neque per figuram, aut revelationem, quia cum fidem jam certissimam haberet, nec figura, nec revelatione illi opus erat, nec poterant ejus satiare desiderium. Vidit ergo diem Christi re ipsa &c. Resp. ad (1.) Videte diem Messiae, & concupiscere ipsam videre sibi invicem non repugnant: ut non repugnant credere Messiam esse incarnandum, & tamen exultare per & proper istam fidem, & subinde plura desiderare videre, & nosse de isto mysterio. Ad (2.) eadem responsio quadrat. Credidit Abrahamus Messiam esse carnem assumpturum, & desideravit ipsum in hac carne videre, cuius sui desiderii etiam compos & factus in visione, qua Filius Dei sese per speciem ipsi stitit contemplandum, vide Chemnit. loc. cit. Tarnov. Comm. in Johan. h. l. pag. 737. seqq.

Vt haec uberioris illustrentur redeundum est ad Mosen, qui de Abrahami visionibus plura refert. Sufficerit unicam adduxisse. Gen. XVII. 17. dicitur Abraham risisse, auditio, quod e Sara semen, seu Filium, esset suscepturus; quæ tamen promissio non eo accipienda est, quasi mere esset corporalis: Observandum precipue hoc est, quod haec promissiones includunt ipsum Christum, ino eternam vitam, et si non de Christo, sed de Isaaco videantur loqui. Ideo Paulus in Romanis addit. scripta haec non propter Abrahamum, sed propter nos credituros. Abrahae exemplo. Nam promissio temporalis est ceu nux, que tegit nucleum Christum. & eternam vitam, ait Luther. Enar. in Gen. & VI. Posito igitur, quod promissio loquatur de semine etiam benedicto, Messia, e posteris Abrahami prodituro, gaudium quoque seu risus non erit de solo Isaaco, sed etiam Messia nascendo: Ideo rideat & latatur, ac postea ex hoc ipso risu, & hoc spirituali & ineffabili gaudio inditus nomen Filio, & vocatur Isaac ad perpetuam memoriam, & monumentum eternum tam pulchram, firmam, & certa fidei, quod ad hanc vocem, vix dum emissam & Domino;

anto gaudio sanctus vir impletur. Quod enim in terram eadit, & videt, est sicut Christus Job. VIII. 56. exponit, gestus animi exultantis, & exuberantis gaudio, quod nunc demum certus est, se patrem, Sarah autem matrem, fore Jesu Christi, filii Dei, per quem salus & benedictio toti terrarum sit obvenientia; Iterum verba sunt B. Luther. f. 92.

## ASSERTIO IV.

*Incarnatio Filii Dei Abrahamicae fidei  
objectum fuit.*

**R**evelatum est hoc mysterium Patriarchæ I. Expressis verbis, subinde tamen clarioribus. Gen. XII. 2. seqq. cum ipse dicitur futurus esse benedictio, vers. 3. & cap. XVIII. 18. in quo omnes familiae terræ sint benedicendæ: Ipse tamen immediate non intelligatur, sed Messias ex ipso proditur: sicut clarius explicatum est ab ipso Dei Filio, Gen. XXII. 18. testantibus Apostolis, Petro Act. III. 25. & Paulo Gal. III. 8. Semen alias variis rebus attribuitur, plantis, bestiis, hominibus: & significat interdum multitudinem, interdum individuum, quo sensu in allegatis dictis accipitur. Quia enim semen Abrahami appellatur, consequens est, intelligi semen humanum: quod Messias futurus esset homo verus, ut Abrahamus homo est: Et quia in singulari Moses loquitur, semen, inde colligit Apostolus Θεόποιος, de uno sermonem esse, non de pluribus. Perpetua hæc est Hermeneutica regula: Is sensus, qui ex verbis ultro fluit, urgendus, & pro genuino habendus est, donec evidenti necessitate a litera dimoveamur. Cum igitur Semen, de uno, non Semina, de pluribus dixerit Moses, vel Deus apud Mosen, consequens est unum intelligi individuum, non plura. Hoc autem individuum non merum fore hominem, sed & Deum, e benedictione universalis colligere potuit Abrahamus. Benedictio opposita est maledictioni Gen. XII. 3. Omnes igitur homines erant sub maledictione, quia omnes erant benedicendi. Si autem omnes homines sub maledictione erant, igitur is homo, unde benedictio erat ventura, non fuit homo sub maledictione positus, sed Deus omnis

omnis benedictionis auctor. Qui autem non sub maledictione pos-  
situs, si homo? Respondeo, quia iste homo non erat per naturalem  
traditum e viro & femina gignendas, sed e Virgine semen afflu-  
pturus: Qui porro benedictionem impetratus omnibus omnino  
hominibus, nisi ex communione cum divina natura? Prædicatura  
divinæ naturæ tribuitur semini Abrahamicō; oportet igitur semen  
Abrahāmi ipsum fuisse Deum, non tamen essentialiter; Nam adhuc  
semen vocatur, cum benedictio de ipso prædicatur; personaliter  
igitur, ut communio idiomatum locum haberet. Cum prædicata  
divinum de quo prædicatur, alterutrum erit, aut Deus erit  
subjectum merus, aut natura Deo personaliter unita. Neque enim  
Deus gloriam suam vult alteri dare. Semen autem Abrahāmi non  
est Deus merus; est enim & manet semen Abrahāmi. i. e. humo ve-  
rus; igitur θεός θεωπό?

Habes summam mysterii. Et in ea incarnationis (1.) Effici-  
entem caussam, quæ est ipse Deus. Gen. XII. 2. seqq. Deus Abra-  
hamo promittit benedictionem in omnes terræ familias redundatu-  
ram, sed quo auctore? seipso. Dicit enim: Ego te faciam gentem  
magistrum: Ego dabo nomen magnum ut sis  
benedictio, si igitur DEI beneficio Abrahamus factus est bene-  
dictio, sequitur DEI quoque opera Messiam esse natum. Conseguen-  
tia patet, quia caussa caussati, est etiam caussa caussæ? benedictio  
omnium hominum est opus Dei, quare & Messias, unde illa bene-  
dictio fluit, erit opus Dei, quo incarnatio facta est. Naturæ vires  
nihil cooperaturæ erant, ut e virginie nasceretur Messias, sed id unius  
Dei opus futurum erat. *Prefiguratum* hoc erat in Isaaco. Hic  
enim e lapidibus. i. e. Abrahamo & Sara effectis senibus natus est,  
juxta Dei promissionem; Deus senum vires excitavit, elevavit,  
aptas reddidit, ut prolem ferrent, quod supra naturæ facultates erat.  
Curiose hoc & prolixo in S. literis notatum est, ut futuram Mesiæ  
nativitatem ope Dei, non naturæ virtute, futuram fideles prælum-  
merent. Deo enim nihil est impossibile. Gen. XVIII. 14. Et  
Melchisedech typum gesit, ἀπάτως καὶ αἰσήτως. Gen. XIV. 18.  
19. Hebr. VII. 3.

(2.) *Materialem*: quæ fuit divina & humana natura in una  
persona unitæ. Divina natura e benedictione, adeoque ex effectis  
colligebatur. Persona, unde omnis benedictio in creaturas manat,  
nec-

24.

3.

1.

18.

19.

DFG



necessario Deus est, ut paulo ante ostensum. Confirmatur ex Gen. XXIV. 9. Refertur enim Eleazer manum suam sub femore juratus posuisse? juravit igitur per ipsum femur heri, aut per aliud: non per femur; hoc enim neminem obligare potest; Ergo per aliud. Quod illud: creatura? absit. Non est jurandum, nisi per creatorem cœli & terræ. Gen. XI V. 22. Fuerit igitur Deus, per quem Abraham juravit servus; quæ autem Dei persona? secundam dicimus. Hæc enim inter femora Abrahæ, mediate tamen, proditura erat quoad humanam suam naturam: *Hic clare testantur scripture, patribus non ignotum fuisse mysterium divinitatis, præcipue Abrahæ; qui non passus fuisset fieri juramentum in hæc verba, se non intellexisset semen plus esse, quam hominem*, ait Luther. Comm. in Gen. f. 233. b. Humana natura patebat ex semine, quod promissum erat. Semen autem animatum est, anima, quæ hominem constituit, erat enim Abrahæ semen: Messias igitur ex Abrahæ habiturus erat & corpus, & animam rationalem. Requirerebat hanc naturarum dualitatem opus benedictionis a Messia præstandum. Non est hoc unius & meri Dei, quippe qui mori non potuit, quod tamen ad expiationem peccatorum necessarium erat; nec meri hominis, minores enim sunt talis vires, quam quæ sublata maledictione benedictionem omnibus hominibus acquirerent; quare utraque & divina & humana naturis opus erat ad ἀποτέλεσμα istud præstandum. Hæc fidei salvificæ dogmata necessario scienda sunt, si modo fides vera fuerit, ut fuit Abrahæ.

(3.) *Formalem* quæ est assumptio humanæ naturæ in ἵπόστασιν λόγῳ, facta in utero materno. Duas Messiam naturas esse habiturum ostendimus: Eundem autem unam fore personam e numero singulari, semen, colligitur? Gen. XXII. 18. Angelus ait in tuo semine: de uno loquitur; non pluribus. Gal. III. 16. In uno hoc semine duas naturas ad unam personam esse unidas Abrahæ colligere poterat ex ἀποτέλεσμασι, quæ de semine isto prædicabantur. Prædicabatur benedictio: *Tu eris benedictio. i. e. tuaa semen erit benedictio;* Et hoc etiam per communicationem; *in tuo enim semine benedicentur omnes gentes:* quod est ἐνέγκυη divinum. Oportet igitur semini Abrahæmico communicandam fuisse virtutem divinam. Communicandam autem vel extra unionem, vel per unionem personalem; non extra; Deus enim suam gloriam non voluit

voluit etiam tum alteri dare; quare in, & per, unionem, qua mediante natura humana fieret Dei natura, ut adeo divina axiomata non alteri, sed ipsi Deo juxta naturam propriam, humanam scilicet, communicarentur. Credidit hoc Abrahamus. Ioh. VIII. 65. dicitur vidisse diem Messiae: incarnationem igitur. Dies enim Messias numerabat ab incarnatione, & porro; subjectus temporum vicissitudinibus, ut diceretur natus octo dies, duodecim annos, triginta annos &c. quo modo numerare non poterat dies ante incarnationem, utpote quod in aeternitate dies, menses, anni non fuerint.

(4.) *Finalēm*: quæ coincidit cum ipsis effectis. Comprenduntur hæc uno vocabulo: *Benedictio*. Genes. XII. 2. 3. XVIII. 18. XXII. 18. Hoc enim vocabulum complectitur omnia ea beneficia, quæ propter θεον γεωπον humano generi divinitus commendantur. Dividi ea possunt in duas classes, quarum prior continet beneficia privativa; posterior positiva; privativa, quatenus a malis liberamur; positiva, quarum bonis condonamur. Quæ autem sint in specie hæc bona, in compendio exhibuit Paulus Eph. I. 3. seqq. Gratias enim agit Deo Patri Domini nostri Iesu Christi, propter benedictionem nobis praestitam quoad benedictionem spiritualem in cœlestibus bonis per Christum. Enumerat deinde capita benedictionis primaria, quæ sunt praedestinatio facta ab aeterno per Christum, ut in ipso essemus sancti & irreprehensibiles in charitate; vers. 4. Adoptio per & propter eundem Iesum Christum, conciliata juxta benevolam Dei voluntatem; v. 5. Gratia apud Deum pridem iratum, denuo propter Christum collata; diligimur enim in dilectio. v. 6. Redemptio per sanguinem ipsius, quæ est remissio peccatorum, facta juxta divitias gratiæ. v. 7. Revelatio hujus benevolæ voluntatis divinæ, & meriti Iesu Christi, facta per eundem nostrum Salvatorem. v. 8. 9. Praedicatio beneficij inter Judæos & Ethnicos, ut sub unum mysticum caput redigerentur. v. 10. Hæreditatio eorum, qui ante ordinati erant juxta propositum Dei omnia operantis: v. 11. Fides in Christo fixa. v. 12. Obsignatio credentium, quæ sic per Spiritum Sanctum. v. 13. Pignus nostræ hæreditatis. vers. 14. Hic commentarius benedictionis e semine Abrahæmi preventuræ.

C

Com-

24.

3.

1.

18.

19.

Comprehendi hæc omnia & connexa beneficia in voce *Benedictio*, a DEO Genes. XII. XVIII. XXII. usurpata; & ita (quoad substantiam saltem) intellecta & credita esse ab Abrahamo, afferimus, & probamus. I. Scriptura non limitante, vel excipiente quædam, licet, & oportet verba ipsius, præsertim favorabilia, latissimo sensu accipere, nempe de omnibus illis, quæ sub isto significatu comprehenduntur: secus multum de certitudine sacrarum literarum periret: Iam vero scriptura nec limitat, nec restringit, nec excipit quicquam in voce *benedictio*, quare nos sub ista omnia ea benedictionum genera complectimur, quæcunque in aliis scripturæ dictis explicatius hoc nomine appellantur. II. Abrahamus scivit & credit omnia ea doctrinæ capita, quæ ad fiduciam justificam & salvificam concipiendam & fovendam saltem necessario requiruntur. Suppono, Abrahamum fide justifica & salvifica fuisse prædictum, quod clarissimum est ex Gen. XV. 6. Rom. IV. 5. Gal. III. 6. Hebr. XI. 8. Suppono etiam, Eam Abrahami fidem esse natam e verbo DEI, in quo credenda ipsi proponebantur: id quod assert. II. probatum dedimus: Hinc sequitur, revelata quoque fuisse Abrahamo ea dogmata, quæ fidem veram generant: Effectus enim præsupponit causam: Ejusmodi autem dogmata sunt beneficia divina de nostra redemptione, electione, adoptione, justificatione, renovatione &c. ab Apostolo Eph. I. 3. seqq. recensita. Fiduciam in Deum conceperem non potest, nisi ille, qui credit. Deum pridem sibi iratum, esse sibi reconciliatum: Reconciliatum autem per quem? hominem merum? absit; hi enim sunt sub maledictione, reconciliatore ipsi opus habentes; Per DEVUM igitur ipsum, eumque incarnatum, ut Mediator esse posset. Reconciliatus qui est, peccatori veniam dat delictorum: data venia remittitur pena, peccatis debita; sublati & peccatis & penis, ultro e natura DEI beneficia sequuntur variis generis bona cum spiritualia, tum æterna.

Hæc tenus disputatum est de Mysterio incarnationis, sicut expressis verbis ita fuis revelatum, ut ab Abrahamo secundum suas eaussas cognosci potuerit, & cognitum est. Erant præterea alia quoque, unde vel Abrahamus idem mysterium potuit nosse, vel nos hodie, luce novi fœderis illuminatores, intelligere & illustrare possumus. Erant (2.) *Typi*, & illi variis. Illustriores erant *Sacrificia*,

erificia, in quibus præfigurabatur Messia passio & mors, quo de ex professo disputavit D. Wolfgangus Franzius in schola Sacrificiorum: Consequenter intimabatur ejusdem incarnatio, quia merus DEVS non potest mori: Erant apparitiones sub specie humana a Filio DEI factæ. Ipse enim & ad humana semper colloquia descendit ab Adam, usque ad Patriarchas & Prophetas, in visione, in somno, in speculo, in enigmate, ordinem suum præstrenens ab initio semper. Quæ erat persecuturus infinita, semper ediscbat, & DEVS, in terris cum hominibus conversari non alias poruit, quam sermo, qui caro erat futurus. &c. Tert. adv. Prax. c. 16. Confer. c. 9. de carne Christi, Novat. de Trinit. c. 26. Patres Antiochenos in literis ad Paulum Samosatenum. Lutherus enar. in Gen. XXII. f. 199. b. pie observat, quod, & cur DEVS in S. literis persæpe humano more nobiscum loquatur, nempe, ut ionueret, se hominem futurum fuisse: Dulcissime enim sunt ejusmodi descriptiones, quando scriptura de DEO, tanquam de homine loquitur, & humana omnia ei attribuit, quod loquatur nobiscum familiariter, & similia hominam sermonibus: quod gaudeat, contristetur, patiatur ut homo: propter Mysterium future INCARNATIONIS. Ob eam enim causam legimus & evolvimus Vetus Testamentum, ut Christum videamus prædictum INCARNANDVM, non solum verbis, sed etiam variis figuris & factis. Hæc ille. (3.) Mutatio vel impositio nominum. DEVS Abraham nomen mutavit in Abrahām, addito M, ut significaret Patrem multitudinis, puta credentium. Sed & Sarai nomen aliud fecit, ut שָׁרָה diceretur, q. d. principissa multitudinis, & mater: Quo hæc fine? nisi ut Abrahāmus & Sarā vel ipsis suis nominibus docentibus scirent ex suo semine proditum esse Filium, per quem omnes credentes in filios DEI adoptarentur, & ita ipsius fidelis Abrahāmi & Sarā filii redderentur. Rom. IV. 12. Gal. III. 29. IV. 28. Omnes credentes totius orbis terrarum ab eo (Abrahāmo) suum principium habent propter Christum, in quo benedictionem consequuntur: quamobrem Patrem multarum gentium posturum significat. Ita noster Marbach. in Gen. p. 169. & p. 173. Quod (DEVS Gen. XVII.) promittit, reges & gentes e Sarā prodituras, impletum est primum in Isaac, ex quo Iacob & Esau duæ gentes natæ sunt, quarum utraque reges habuit, maxime autem IN CHRISTO impletum,

enjus fidet gentium reges se subdiderunt: qui etiam omnes credentes  
facit reges & sacerdotes. Idem vult subindicatum esse voe Isaac,  
qua a risu deducta est. Sic enim (DEVS) appellari vult a risu,  
quem Abrahamus ex admiratione & gaudio super promissione DEI  
habuit: Item a latitia, quam uterque parens in nativitate ejus  
concepturus est; maxime autem propter Christum, ex ipso nascendum.  
Sic idem pag. 147.

Declararunt Abrahamus & Sara hanc suam fidem variis argu-  
mentis. In præcipuis est desiderium prolis suscipienda. Genes.  
XVI. 1. seqq. Sara vel ancillam Ægyptiam Abrahamo suo jungit  
uxorem, ut, quandoquidem hera sterilis esset, saltem serva pro he-  
ra pareret hero hæredem. Sanctissima certe Matrona erat Sara,  
nec ausa fuissest polygamam facere maritum, nisi omnia conatu stu-  
duisset promissionem seminis benedicti quocunque modo promo-  
vere: sed nec Abrahamus sustinuisset aliam sibi jungi, nisi sub hac  
opinione: DEVS tibi promisit semen, Sara autem tua sterilis est,  
igitur aliam esse ducendam Deus indigitavit, vide Luther. ad Gen.  
XVI. & Eraf. Marbach. ad l. c. Accedit juramentum quod Abra-  
hamus Eliezerum præstare voluit, Gen. XXIV. vers. 2. In isto enim  
juramento ea præcipue Cæremonia miranda est, quod Eliezer ma-  
num suam sub femore heri sui posuerit & juramentum deposituerit.  
Videretur alicui ea fuisse idololatrica: & pudenda cæremonia, jurare  
per foemur, & consequenter per membrum virile hominis alicujus.  
Sed sciendum adeo crassos non fuisse sapientissimos & sanctissimos  
viros, ut eo insanæ venirent. Sanctos aliquod suberat mysterium,  
nempe futuræ incarnationis. Ipse Dei Filius e semine Abrahami  
assumpturus credebatur humanam naturam, ut mulier e semine Abra-  
hami prognata, futura fuerit mater ipsius Dei, hoc venerabatur,  
Domino suo docente, Elieser servus, & per hujus Θεανθρώπου no-  
men juramento se se obligabat sanctissimo: Abram præclare hunc  
locum intellexit: In semine tuo benedicentur omnes gentes, quod  
Christum includit: Et propter Christi ortum ex lumbis Abrahæ, ex  
quibus lumbis venit universum genus humanum omnia pura, munda,  
& sancta reputentur. Quia est idem semen, & eadem caro, que  
nos sumus. Sed ipse vere sanctus est, & per miraculum conceptus,  
non sicut nos, sed sine patris ardore, libidine, impudicitia, turpi-  
tate,

dine, fæditate, etiam sine dolore matris natus, & ramen est semen  
Abrahæ. Hoc significatum est, quando Abraham jubet servum po-  
nere manus in fænum, quia Christus est in famore. Ita Luther.  
enar. f. 230. Conf. Chemnit. harm. Evang. fol. 1924. Clilichtov. in  
Cyrill. fol. 558. Barrad. harm. fol. 68. in Ioh. VIII.

## ASSERTIO V.

*Abrahamus, bac fide in Messiam nascendum  
justificatus, & salvatus est.*

24  
**P**robatur (I.) in genere ex Acto. IV. 12. Hoc enim in loco sim-  
pliciter excluduntur omnia alia salutis media, solo Iesu nomine  
pollente. Nomen autem Iesu includit etiam Filii Dei incarnatio-  
nem, quippe qua mediante factus est Iesus noster seu Salvator. Sal-  
vare enim homines non potest nisi is, qui non solum Deus, sed et-  
iam homo est, ex Act. X. 43. ubi eadem phrasis repetitur, nempe  
quod in nomine Iesu remissionem peccatorum accepturi sint omnes  
credentes: credens autem fuit Abrahamus, & remissionem peccato-  
rum accepit Rom. IV. 3. seqq. accepit igitur in nomine Iesu, ali-  
quando incarnandi. (II.) In specie, quod Abrahamum concernit  
Gen. XV. 6. extant verba: Credidit Abraham Deo, & imputatum  
est ei ad justitiam. Clara verba sunt, fidem Abrahami imputatam  
esse ad justitiam, explicante Paulo Rom. IV. 3. & 5. & 9. Id igi-  
tar unice jam demonstrandum est, quod istius fidei fuerit objectum,  
eujus virtute Abrahamum justificaret. Præcedentia verba id nos  
docent: Eduxit (Deus) eum (Abrahamum) foras, & ait: Eja-  
intuere cælum, & numerare stellas, si poteris eas numerare: Et dixit  
illi: sic erit semen tuum. Loquitur de semine, sed quo? corporali,  
an spirituali? Respondet Lutherus: Occulte Moses ostendit, hic in-  
cludi promissionem de semine spirituali & cœlesti. Et paulo post: pro-  
missio est de spirituali semine, ut recta consequentia statuas, ample-  
stantes hoc semen, seu credentes in Christum esse justos. Hæc ille:  
Et merito. Fides enim versatur circa premisionem, quam appre-  
hendit: incarnationis autem Messiae erat promissio, vel potius res pro-  
missa,

missa. Rom. IV. 13. seqq. circa ipsam igitur versabatur fides, quæ ad justitiam Abrahamo est imputata. Hæc ipsa justitia per circumcisum fuit obsignata. Vocatur enim sigillum justitiae. Rom. IV. 11. Ejus nimis rimus justitiae, quam per fidem accepit Abrahamus. Circumcisio notabat, inter alia mysteria etiam incarnationem Messiae ex gente circumcisâ futurâ, adeoque & obsignabat fidem, quæ Messiam ex Judæis nascendum apprehendebat: Non enim circumcisione, ut opus per se valebat, sed fides in promissionem circumcisioni additam: ait Lutherus. Et paulo post, agens de pacto inter Deum & Abrahamum facto: Amplissima, ait, & vere magnifica promissio est, quod pacto confirmat Deus, ex Abraham semine nascituram Ecclesiæ, quæ habitet in terra Canaan, usque dum nascatur Christus, ut omnes tum gentes, tum Judæi, qui credituri sunt, quod Abraham credidit, salvi fiant. In hoc enim signaculum circumcisionis ei datur, ut per justitiam fidei, quæ in Abraham est, salventur omnes &c. Eadem fide etiam salvatus est Abrahamus. Nam videndo diem Messiae gavisus est, quod consequens est justificationis & salutis apprehensæ: Et credendo factus est hæres promissionis, in qua & æterna salus inclusa est. Confer. Ioh. VIII. 56. Rom. IV. 5. 6. 7. 8. Gal. III. 29. IV. 30. Egregie Brentius Comm. in Ioh. l. e. scribit: Cum Christus dicit Abrahamum ex fide in ipsum gaudio exultasse, significat, Abrahamum non solum justificatum esse, sed etiam consecutum æternam vitam per ipsum, ut etiam si visus sit suis coetaneis mori, non tamen sit mortuus, sed vere adhuc vivat, & sit perpetuo vieturus. Consequens est, eadem mediante fide, Abrahamum in variis temptationibus fuisse confirmatum, & solatio erectum. Colligitur ex Gen. XV. 1. seqq. cum Deus magnificas Abrahamo faceret promissiones, regessit hic: Domine, Domine, quid dabis mihi, cum ego incedam absque liberis? Quibus verbis significat, sine promisso semine nullius sese rei lætitia, aut solatio affici: E contrario, promisso & confirmato semine suo lætissima quæque & acceptissima fore. Vnde & Deus hoc ipsum solatio erigit: qui egredietur de uero suo, ille hæres tuus erit. Author epistolæ ad Hebræos cap. XI. 13. eodem digitum intendit, cum ait, veteres promissionem equidem non vidisse, sed e longinquo vidisse, solatio tamen fuisse affectos, puta ex promissione futura, in qua & Messiae nativitas includebatur.

ASSER-

## ASSERTIO VI.

*Eadem fuit Abrahami, quæ nostra, fides  
de nativitate Messie.*

**I**N circumstantiis quamnam fuisse differentiam ultro largimur, creditit ille in Filium Dei nascendum, nos in natum; obscurius iste, nos clarius, postquam conditiones individuantes palam factæ sunt. Res ipsa vero una eademque credita est, ab isto, & nobis. Probatur e paternitate Abrahami spirituali, Gal. III. 6. 7. seqq. Pater enim est omnium justificanderum, & salvandorum, quatenus exemplum præbet, quomodo isti quoque justificandi & salvandi sint. Rom. IV. 12. seqq. Ex hoc sequitur, ait Lutherus Comm. in Gal. III. f. 78. b. *Benedictionem & fidem Abrahe eandem esse, quæ nostra est, Christum Abrahe eundem esse, qui noster est. Christum aque pro peccatis Abrahe mortuum esse ac pro nostris. Iohann. VIII. Abraham vidit diem meum, & gavissus est. Omnia erga sunt eadem.* Et Brent. in Ioh. VIII. f. 495. *Docet nos Christus his verbis, quod Patriarcharum ac nostra religio & fides non sint inter se diverse, sed una & eadem religio.* Suffragatur Chemnit. harm. Evang. cap. 103. f. 1925. *Discimus hinc unam eandemque esse fidem, in qua omnes inde ab initio orbis Patriarchæ & Prophetæ mortui & salvati sint.* Hinc Apostolus Petrus dixit in Concilio Hierosolymitano Actor. XV. 11. *Credimus nos per gratiam Domini nostri IESU Christi salvari, quem admodum & Patres.* Et in edibus Cornelii (Aotor. X. 43.) pronunciavit: *Huius IESV omnes Prophetæ testimoniorum perhibent, remissione peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Eadem sit laus & gloria sempiterna. AMEN!

24.  
3.  
1.  
1.  
18.  
19.  
**F I N I S.**

21 KI





*idebatur. Quæcum ita se habeant, dubium non est,  
cuidatiur, quam prudens Sideribus. Quandoque  
ur. Ecce autem ille beatus est, cuius cor integrum est  
suo.*

bservat AbenEsra emphasin vocis, quam  
erundensi Onkelos reddidit: **תמים** **הרא** שׁלֵים הָרָא perfectus sis in timore Domini. Exigit enim si-  
is in solum Deum, ut omne aliud objectum, in-  
aut unde futurorum notitiam petat, excludat,  
nius Dei providentia eum recumbere jubeat.  
Actor libri **תמים** בָּאר idem h.l. signi-  
ans q.d. hominis esse, se totum Deo tradere &  
n apud ipsum, futurorum eventum quare-  
aud obscure patescit inde, quod Deus in popu-  
randos ait. קָסִים קָסִים מַעֲנוֹן וְמַנְחָשׁ. Deut.  
otandum קָסִים, quod B. Lutherus Weissager  
sicare omnem artem, quæ exercetur ad scienc-  
ontingentia), & nimis eam vocem restringi ab  
בָּאר, dum reddidit, גָּאַהֲבָן. Longè rectius  
יתכן הוותו שם כָּלъ sicut hunc in modum:  
ופירושו חותמי המשפט האמורים כי כן י'ז  
o generali nomine habendum est, & de illis expli-  
dos demonstrant, dicendo, sic se res sine dubio habebit,  
שם יתכן הוותו שם פרט להזכיר. Subdit:  
שמות וטעם קסמים שיש במשפטי הכהב  
ריאש Etiam pro speciali nomine venit. Denotat enim  
קסמים de stellis, quæ prima & secunda appellantur,  
חוֹזֶה Kimchi com. in c.XIV, 14. Jer. ad stipulatur  
הַכָּבָד Stellarum contemplationem vocant. קָסִים  
paret, judiciariam illam astrologiam, quam hic  
plexus est, à Deo, ipsius AbenEsra & Kimchii  
prohibitam.

as Levita animadversionibus suis in librum Ra-  
hii annotavit: **הקסם** **חיא** **לדעת העתירוץ**  
**קסם** **שׂ**, **וכן אמרו על** **בלעם שירע**  
**orum scientiam proficietur.** *Ita de Bileamo referunt,*  
*quod*

